Ex libris Societatis Med: Chir: Abredonensis

Donum And. Duncan Sen.ris

DISSERTATIO MEDICO CHIRURGICA, DE FISTULA LACHRYMALI.

ALEXANDRO M. GEDDES AUCTORE.

PROŒMIUM.

Cum ductus nasalis ob aliquam causam est ita obstructus, ut lachrymarum transitum in narem impediat, aut prorsus claudat, morbus ex ipso impedimento aut obstructione originem trahens fistula lachrymalis nominatur.

Auctores nomine valde absurdo usi sunt; nam fistula lachrymalis fistulosum orificium ulceratum, callosis in sacculo lachrymali marginibus, significat; haud dubium est, quin mor-



bus sæpe hoc in statu existat, et tunc quidem fistula lachrymalis aptissime denominetur; sed nomen, in morbi gradu omni, ulcus fistulosum in sacculo lachrymali esset necne, datum est. In morbi primo gradu et secundo, nulla apertura morbida in sacculo lachrymali omnino est: consuetudo tamen diu constituta nomen sancivit, ac hoc igitur in opusculo eo nomine, a quo morbus bene notus, utemur.

Fistula lachrymalis, non ipsius natura solum molestissima, verum si longius producta fuerit, sæpissime aliorum morborum, non minus tristium, et qui gravius periculum, imo etiam mortem ipsam minitantur, causa fit.

Quanquam huic morbo haud multum discriminis conjungi plerumque dicatur, tamen si neglectus, aut parum commodè tractatus, aut permanere diu sineretur, sæpe periculosus fit. Nunc primarius, nunc aliorum effectns morborum.

Etsi est morbus, non magnum in modum proximum visus organum afficiens; veruntamen

haud raro vicinis in partibus causa inflammationis est, propter irritationem, quam in iis concitat, hinc diu continuato, gravissima opthalmia chronica induci potest, et quæ istam morbidam proximis visui partibus mutationem afferat, ut ea facultas, aut multum minuatur, aut in totum pereat.

Hunc morbum, justa sine scientia partium anatomiæ oculi quæ hoc in morbo implicantur, atque etiam munerum, quibus eæ in œconomia animali subserviant, plane intelligere non possumus.

Primum, igitur partes, quæ propter hunc morbum laborant paucis exponere; deinde de earum functionibus breviter disserere conabor, postea morbi signa, unà cum medendi ratione, intellectu erunt faciliora.

DE PARTIUM ANATOMIA.

Palpebræ.—Palpebræ sunt semilunares cutis productiones, et integumentorum Orbicularis Palpebrarum Musculi communium partem includentium, atque intus tunica conjunctiva integuntur; illæ permobiles, præcipuè superior, sunt; ubi junctæ, duos angulos formant, alter vel ille náso internus, alter vel ille temporibus proximus, externus canthus nominatur.

Glandulæ Meibomianæ.—Glandulæ Meibomianæ sunt glandularum parvarum numerus inter tarsos et internam palpebrarum tunicam positarum; subalbidæ, ac materiam sebaceam secernunt, ut oculum lubricent, et palpebrarum accretioni occurrant, atque lachrymis somno eas transeuntibus obstent.

Tarsi.—Tarsi duo arcus cartilagenosi sunt, palpebrarum margines intrà vestientes; in

media, latiores, sed paulatim angustiores, dum ad canthos vergunt, fiunt; apud oram externam cavantur tali in modo, ut, cum palpebræ clausæ sunt, fodina oculi globo citima lachrymas in puncta lachrymalia invehendi gratia relinquatur.

Cilia.—Cilia sunt eæ palpebrarum partes marginum, ex quibus rigidorum ordines capillorum duo excrescunt, quò vim solis radiorum, in pupillam incidentium minuant, atque extranea in oculum ingredientia corpora excludant.

Glandula Lachrymalis.—Hæc est glandula generis conglomerati, flavo colore, parum plana formaque oblonga, in ossis frontalis parte superiore et exteriore, in depressione, sita, intra orbitam, in qua obliquè jacet; altera ejus extremitate deorsum et introrsum, altera sursum et extrorsum spectante.

Minorum numero glandularum in orbita paulo inferiùs positarum, conjungitur. Sex aut septem ductus excernentes glandulas juxta parvas sitos sed non inter se communicantes, ac in

internam palpebræ superioris superficiem aperientes habet.

Illa secernit liquorem ut corneam lubricet, et ejus pelluciditatem conservet, ex oculo corpora extranea elavet, atque faciles palpebras motu faciat.

Puncta Lachrymalia.—Puncta Lachrymalia sunt duæ aperturæ tenues, illud in palpebra superiore, hoc inferiore, prope canthum internum et tarsorum extremitatis interioris finem. Utrumque punctum in loco edito ponitur, et circulo, id semper apertum tenente, cartilaginoso circumdatur.

Puncta in duos ductus parvos ducunt, canales nominatos lachrymales, introrsum usque ad nasum atque in directione palpebrarum euntes; hæc inter se conjungunt et sacculum lachrymalem intrant.

Lachrymis transitum ab oculo distillantibus in sacculum lachrymalem dant.

Sacculus Lachrymalis.—Cum lachrymales canales sese junxerunt, sacculum apud canthum

internum faciunt, nomine sacculi lachrymalis notum.


Is in depressione jacet, partem cujus anteriorem, processus nasalis ossis superioris maxillaris format; posteriorem, ea pars ossis unguis quæ ejus vertici perpendiculari anterior est; et inferiorem, processus perpendicularis ossis spongiosi inferioris anterior.

Ei ductus est, ab eo in nasum, nominatus ductus nasalis ingrediens, quem intus membrana, similis narium membranæ pituitariæ, eademque organum secernens, velat.

Caruncula Lachrymalis.—Caruncula Lachrymalis generis conglomerati glandula rubra tenuis est, proxima oculi cantho interno sita, inter puncta lachrymalia; liquorem secernit, ut partes ejus vicinas lubricet, utilis etiam in puncta lachrymalia, clausis palpebris, lachrymas dirigendo.

Valvula Semilunaris.—Vavula Semilunaris duplicatio tunicæ conjunctivæ semicircularis est, ejus parte adversum tempora convexa spec-

nte, apud canthum internum, inter carunculam lachrymalem atque oculi globum ponitur; ea quoque utilis in puncta lachrymalia lachrymas dirigendo.



DE PARTIUM PHYSIOLOGIA.

GLANDULA lachrymalis, oculi in naturali statu sanoque, liquorem pellucidum, lachrymas scilicet, secernit, qui ex æquo super totam anteriorem oculi globi superficiem diffunditur, (partim modo, quo in palpebra superiore ductus excernentes patent, et partim ipsarum palpebrarum motu) eòque corneæ nitorem ac humiditatem dat; is quoque aliquam extraneam oculi inter globum insertam palpebrasque materiam elavat; namque præsentia ullius extranei oculi globo corporis adhibiti, statim auctum liquoris lachrymalis fluxum producit per irritationem, quam excitat.

Liquor lachrymalis cum oculi globum madefecerit ad canthum internum descendit, et per puncta lachrymalia (ab attractione capillari) in sacculum lachrymalem atque inde in nasum per ductum nasalem vehitur; ibi internam cavi nasalis superficiem lubricat, odorisque sensum magis acutum facit; in naso naturali ejus organi secretione miscetur et cum ea excernitur.



DE MORBI SIGNIS.

Indicia, quæ hujus morbi præsentiam monstrant, pauca atque intellectu facillima sunt; postquam partium structuram functionesque in statu earum sano intelligimus.

In primo stadio fistulæ lachrymalis, in narem fluxus lachrymarum multum impeditur aut prorsus occluditur, et tumor apud oculi canthum internum juxta sacculum lachrymalem videtur, cujus cutis et membrana cellulosa neque indura-

tur, neque inflammatur, sed ejus speciem naturalem retinet.

Cum tumor digitis premitur, liquor vel valde pellucidus vel subnubilus quasi lacte aut lactis flore mistus per puncta lachrymalia elabitur; est etiam plerumque levis oculi affecti fletus et gummitio mane palpebras opprimens.

Hæc sunt symptomata, quæ magna ex parte se morbi hujus in statu simplicissimo ac non complicato ostendunt, et quæ raro incommodum ægro magnum, saltem multos per annos, interdum ætatem, si non longius procedit, atque tractatur cura idonea et attentione efferunt.

Juniores sæpe morbum hoc in statu rachitibus laborantes, aut glandularibus obnoxii obstructionibus habent.

Humori, qui per puncta lachrymalia, tumore presso, defluit, species aliquando est nubila, aut color flavus puri similis; quod multis opinionem ulcus vel abcessum in sacculo inesse suggessit.

Fluxus liquoris flavi ferè in modum augetur purique simillimi, præsertim cum sacculum te-

gentes, cutis et membrana cellulosa inflammatæ, atque partes ea de causa quoad colorem densatæ, irritatæ, mutatæque fiunt; hinc opinio, ut credo, quibusdam adhuc chirurgis est; licet POTT liquorem subflavum haud sæpe ex pure constare, sed tantum partium naturalem secretionem, modo specieque propter inflammationem mutatam, opinatus est.

Inflammatio sacculum tegentium cutis et membranæ cellulosæ interdum ad palpebras, nasi latus, genamque se extendit.

Cum inflammatio multum temporis continuat, vel frequenter revertit, partes tandem densatæ, induratæ, atque igitur puncta lachrymalia fiunt obstructa, ac liquor nunc elabi non passus, accumulat, sacculum distendit, et stimulo suo inflammationem protrahit; ex quo, intugmenta tumorem integentia, tenuiora, tensiora, atque magis, inflammata fiunt; demum se rumpunt; et liquor in eo detentus, per novum foramen transit.

Hic morbi status est, AIGYLOPS vel ÆGYLOPS perfectus nominatus.

Liquor jam per aperturam novam elabens, malam partesque vicinas excoriat, atque ita inflammationis duratio protrahitur, speciem partium revera formidabilem faciens, propter irritationem quam excitat.

POTT hunc morbum in quatuor stadia divisit, sub quibus omnia ejus discrimina minora complectantur. Hæc igitur quæ in scriptis suis inventa referam.

"The first consists in a simple dilatation of "the sacculus, and obstruction of the nasal "duct, discharging upon pressure, a mucus "either quite clear or a little cloudy, the skin "covering the bag being entire and perfectly "free from inflammation.

"In the second, the tumor is somewhat larger, "the skin which covers it is in an inflamed state,

" but entire, and the discharge made through " the puncta lachrymalia, is of a pale yellow, or " purulent colour.

" In the third, the skin covering the sacculus " is become sloughy and burst, by which means " the swelling is in some measure lessened; but " the mucus, which, while the skin was entire, " used to be pressed out through the puncta lach- " rymalia, now discharges itself through the new " aperture; the ductus ad nares, both in this " and the preceding state, are not otherwise dis- " eased, than by the thickening of its lining.

" In the fourth, the passage from the saccu- " lus lachrymalis into the nose is totally oblite- " rated, the inside of the former being either " ulcerated or filled up with a fungus, and at- " tended sometimes with a caries of the bone " underneath."*

---

* Pott on Fistula Lachrymalis, page 28.

Ea diversa hujus morbi discrimina sunt, quæ Pott descripsit, et sub quibus, omnes aliæ varietates complectantur.



DE MORBI CAUSIS.

Sacculus lachrymalis et ductus, ut aliæ partes corporis humani, vasis quæ abundant, inflammationi ejusque malis eventis, et etiam morbis variis, obnoxii sunt, qui alias partes corporis, quoad structuram et functiones, similes afficiunt.

Cum ad ductus angustiam in sceleton nasalis, et quoque in vivo corpore cum membrana mucosa eum integi, quæ organum secernens est, et omnibus subjecta morbis, quibus tales partes obnoxiæ, animadvertimus; facillime intelligemus, quam levis inflammationis impetus satis est, quòd densationem producat, transitum lachrymarum per eum aptam in narem obstruendo vel omnino claudendo, atque morbum afferat, de quo disserere conatus sum.

Sunt multæ quoque causæ aliæ, quæ hunc morbum aut producere; aut si jam formatur, protrahere possunt.

Antiqui cariosam ossium conditionem infrà tumorem causam frequentem hujus morbi impediendi curationem esse crediderunt.

Caries ossium sine dubio fistulæ lachrymalis in quibusdam exemplis sæpe inventa est, sed id accidebat ex perniciosa medendi ratione, qua isthuc temporis utibantur; scilicet, caustica sacculi parti interiori adhibendo, ut partes omnes abolerent, quas in cysti formatione existimabant inesse; verum injurioso medendi modo relicto, caries ossium vix aut ne vix quidem occurrit.

Hunc morbum sæpe lues venerea ossa spongiosa nasi afficiens affert.

Is etiam ex labe scrophulosa in habitu corporis oriri vel continuari potest.

Polypus excrescens naso quoque ductui lachrymali obstructionem facere potest.

Alia et causa fistulæ lachrymalis periculosissima cancer est.

Mutatio glandularum meibomianarum secretionis, etiam obstructionis esse causa in fistula lachrymali existimata est; secretio quoad modumque spissitudinemque mutata.

Interna utriusvis palpebræ superficie, præcipue inferiori, scrutata colorem rubrum præter naturalem atque speciem usque super totum tarsorum villosam se porrigentem eam habere, ejus margines esse tumidas, ac numerum vasorum in ejus superficie varicosorum videri, sæpe reperiemus, quo indicante, glandulas meibomianas fieri morbidas; namque sicut structura morbida causa actionis est morbidæ, sequitur, ut liquor, qui ex his glandulis secernitur, est in statu morbido.

DE PROGNOSI.

In hoc morbo, prognosis nunquam non perincerta est. Morbo recente, ac tumoris liquore pellucido, non longius progredientem curari se posse jure judicemus, sed morbo diu continuato, et tumoris contentis obfuscatis, vel subalbidis factis, est verisimile eum usque ad gradum vel secundum vel tertium esse processurum.

In tertio stadio et quarto, tumore rupto atque ejus liquore novam per aperturam elapso, facultas nos certos faciendi de interioris sacculi partis conditione sese offert; sive morbidus seu sanatu facilis.

Si puncta lachrymalia post sacculi rupturam pervia iterum facta, et ulcus non formam salubrem assumat; si ejus margines rigidæ, induratæ, et inflammatæ maneant, vel granulationes, pallidæ, flaccidæ, et indistinctæ sint, tenui saniosa humoris distillatione comitante, gravis

est ratio cur sacculum intus morbidum esse credamus; vel si laxam materiam fungosam, quæ large distillat, odoremque fetidum dat, habeat; hinc etiam verendum est, infra sacculum lachrymalem ossa esse cariosa.



DE MEDENDI RATIONE.

Ex his, quæ jam supra diximus, manifestum est, hunc morbum in ejus statu primario simplicissimoque, ex ductus lachrymalis obstructione constare, et hac obstructione remota, morbus sanatur.

Quod efficiendi gratia multi modi excogitati sunt, omnes qui faventes atque opponentes habuerunt.

Magni esse momenti semper judicatum est, morbo laboranti quam levissimo dolore ac incommodo, etiamque modis quam simplicissimis mederi.

Quò facilius sanatio efficiatur, causam, quæ ductui nasali obstructionem intulerit, atque etiam stadium, ad quod pertineat, scire necesse est.

Ineunte morbo, scilicet qui propter obstructionem in ductu lachrymali sine inflammatione oritur, ista obstructio est vincenda, et id, sine scalpi usu (si potest) efficere præstat.

Anel cujus gratia, specillum excogitavit, quod per unum punctorum lachrymalium introduci in sacculum lachrymalem, et in nasum deprimi, ac per vim mechanicam adeo obstructionem vincendam esse, vellet; verum hoc instrumentum proposito minime bene aptum, quia, si hoc instrumentum satis tenue est in unum punctorum lachrymalium inire, pronum lacerare erit partes, per quas transit, si impulsum vi ad obstructionem vincendam idonea sit; præterea instrumentum, quod satis tenue, per unum punctorum lachrymalium ineundo in nasum, non renixum obstructionem vincendo idoneum præbebit. Ipsa sensibilitas quoque partium acuta, per quas in-

strumentum traducendum, eo uti vetat. Ware tamen interdum obstructionem, aureum instrumentum per punctum inferius in nasum introducendo feliciter removit.

Anel quoque syringem finxit cujus fistula satis tenuis est, ut unum punctorum lachrymalium ingrediatur. Hoc instrumentum obstructionem (si levis) in ductu nasali removendo aptius; et si peritè adhibeatur, in morbis recentibus aliquando sanationem efficiet, præsertim si liquor, qui puncta lachrymalia, presso tumore, penitus pellucidus translabitur.

Syringem aqua tepida impleri, ejusque fistulam in punctum lachrymale inferius introduci, dum chirurgum ejus digitum in punctum superius superponere oportet; syrinx nunc lente evacuanda est, tanta vi, ut liquorem injectum in nasum liberè inire faceret; hoc sæpenumerò fieri debet; atque partes mundæ, frigidulæque, eas lavando cum solutione zinci sulphatis diluta, conservari sunt.

Quanquam morbus in gradu primo syringis usu haud raro sanatus est, tamen hunc operandi modum felicem semper esse futurum non expectandum; namque interdum liquorem injectum ex puncto lachrymali in nasum impellere prorsus impossibile est, præcipue si morbus diu permansit, et liquori qui per punctum lachrymale distillat, species fuscata est.

Chirurgi periti veruntamen est, prius syringem in morbi hoc stadio semper experire, quam ad ullum modum magis molestiorem decurrit.

Syringe non valente; sæpe erit utile, ut hirudines ex parte vicina paululum sanguinis detraherent.

Fabricius ab Aquapendente cochleam, quò compressionem adhiberet ad sacculum, commentus est, sed ut compressio obstructionem ex ductu lachrymali removere non potest, prorsus inutile igitur esset describere, quomodo ea adhiberetur.

Præter has rationes, sternutatoria usa fuerunt, quò membranam narium, etiamque membranam integentem ductus lachrymalis superficiem internam stimularent; sternutatoria verò in obstructione vera parum prodesse possunt.

Laborantibus in hoc fistulæ lachrymalis stadio cavendum est, ne multum muci intra sacculum accumulare sinant, propterea quod inflammationi proclivis, cum multum distenditur. Si huic admonitui obediant, morbum longius procedere sæpe prohibeant.

In stadio secundo, scilicet, in quo cutis sacculum tegens inflammatur, rationes, supra dictæ penè inutiles erunt.

Inflammatione vehemente, aut frequenter recurrente, sacculus lachrymalis rupturæ pronus futurus, et ut apertura acuto secanti instrumento facta, isti ulcerationi anteponenda; ita eum eventum incisionem faciendo in partem superiorem sacculi lachrymalis anticipere præstabit.

Incisio in linea horizontea ex oculi cantho interno, satis distans palpebrarum a junctura, detrahi, tantum ita lata esse, ut specillum aut stylus facile introducatur, debet.

Quidam auctores incisionem curvam commendaverunt, sed recta proposito æquè bene convenit; ea perpendicularis déorsum trahi debet.

Incisio cum bistorio curvo aut scalpello parvo aptissime fit.

Sacculo patefacto ejusque contentis exinanitis, extremitas obtusa specilli argentei (paulo minor, quam quo plerumque chirurgi utuntur) in sacculi aperturam immittenda, et in ductum nasalem firmiter ac lente impellenda, adeo ut eum valde gradatim dilatet; hoc persæpe repetendum est, donec ductus nasalis rite dilatatus, obstructioque remota.

Chirurgum, qui hoc officio fungitur, ductus nasalis situm bene novisse, transitum sensim dilatare, curâ adhibitâ ne partium structuram læderet; obstructionem eodem modo vincere, quo in urethra stricturas, oportet.

Ductus nasalis lenissime dilatari debet, quodvis enim eum irritat, aut inflammat, proclivitatem producendi quod Anglici sloughy dicunt, atque igitur morbum magis multiplicem faciendi, habet.

Antiqui tumorem esse abscessum arbitrantes, escharoticis, quò facilius cystem abolerent, usi sunt; sed hoc semper eventa pessima genuit, nam læserunt ipsas partes, quas tueri debuerunt; ac itaque morbus aliquando penitus immedicabilis factus est.

Obstructione remota, et transitu inter sacculum lachrymalem nasique cavationem restituto, transitus stylo plumbeo, aut argenteo; ejusdem diametri instrumenti quod obstructionem removerat, patefaciendus est.

Stylus longus pollices duos et quadrantem esse debet.

WARE styli caput parvulo ceræ sigillaris nigræ operuit, quod tantum est ut speciem gratiorem reddat.

Stylus per sacculi aperturam in ductum nasalem introduci, ac ejus usus continuari, donec nulla in ductu proclivitas iterum est ad obstruendum, debet.

Quamdiu stylo opus fuerit, tamdiu, eum semul secundo die aut tertio retrahere, et transitum, nonnullam calcis aquam injiciendo in narem e sacculo lavare; tunc stylum elicere ac rursus introducere, necesse erit.

Cum transitus prorsus restitutus est, ac lachrymæ se ad cursum solitum retulerunt, tum styli usus intermitti, ut vulnus externum coeat, debet; hoc efficiatur, vulnus emplastri lenis paululo obducendo penicillumque superponendo; et cavendum est, ne lachrymæ in sacculo accumulent, eo cum digitis presso, simul ac distenditur.

Styli usu continuato, vulnus in sacculo se contrahere sineretur; apertura tantum satis idonea stylum retrahendo ac rursus introducendo, relicta.

Quanquam morbus sæpe sanatur modis, quos

supra diximus, tamen interdum accidit, ut ductus nasalis iterum obstructus fiat, atque tunc in ullo exemplo sanabitur necne prædicere nobis non est.

Quando est proclivitas in ductu rursus ad obstruendum, canulam argenteam immittere utile erit, quæ retinenda, ac vulnus externum super eam medicandum est.

Cum stylus diu utentibus incommodum levissimum atque nullum dolorem dat, aliquando illos eum seponere piget; præcipue, cum lachrymæ, dum est in ductu, in narem satis liberè transeunt.

Partes, stylo in ductu manente, solutione diluta Zinci Sulphatis frequenter lavari debent, vel ulla si inflammationi proclivitas est, solutio Plumbi Acetatis ei anteponatur, et duæ hirudines, aut tres, prope partem inflammatam admoveantur.

Pott sacculum pene ad totum spatium patefactum, ac inde linamentum prius, aut penicillum introducendo, fore dilatum suadet, quam

obstructionem in ductu vincere ullus est conatus; hoc consilio ut videtur, occasionem obstructionis sua sponte, vel sine ope aliena removendæ offerre; quia interdum accidit, tali modo, lachrymas earum cursum solitum rursus ingredi; sacculum se contrahere, ac vulnus curatione levi adhibita sanari.

Obstructione in ductu, modis supra dictis non remota; ad usum specilli recurrere necesse erit.

Talis medendi ratio, quam POTT commendat; sed ea quæ supra memoratur, prævalere videtur, atque ea, qua his temporibus plerumque utimur.

In tertio hujus morbi stadio, scilicet, in quo, cutis tumorem integens se rupit, orificium per penicillum vel linamentum est dilatandum, et tunc curatio eadem esse debet, quam in stadio secundo, sacculo patefacto consequebamur.

In quarto stadio atque ultimo, scilicet, in quo ductus nasalis penitus deletur; interna sacculi parte abolita, aut fungo impleta, ossiumque infra

carie aliquando comitata; medendi ratione diversa opus erit.

Constat, ex iis supra dictis, ut stadiis tribus jam descriptis, transitum naturalem tueri consilium fuit; vero is, in hoc funditus deletus; restat solummodo ut alterum artificialem, per quem in narem lachrymæ in futurum transeant, instituamus.

Ut orbitæ cavitas atque nasi illa, tantum alia ab alia, pariete osseo tenui, separatur, sic hæc partitio perforata, communicationem necessariè has inter duas cavationes constituet; et cum pars superior sacculi lachrymalis os unguis, quod partitionis pars tenuissima est, superjacet, tum is eligitur ut pars maxime idonea aditum facilem lachrymis in narem ex sacculo afferre; ob facilitatemque, qua perforari potest, etiamque quod sacculus lachrymalis super id proxime jacet; transitum rectissimum, perforato, in narem lachrymis monstrans.

Recentes non soli sunt, qui rationem os unguis perforandi noverunt, verum antiqui quoque

haud raro, quamvis cum consilio diverso, utebantur.

Veteres, morbi naturæ inscii ac infra tumorem ossa frequentius cariosa fuisse, quam revera existimantes, cauterio quod os perderent cariosum, uti sunt soliti. Si cauterium os unguis cito fractum fuit tetegit, et adeo commeatus inter orbitæ cavationem, nasique illam formatus, atque morbus fuerat sanatus.

Recentiores non semper hoc operationis modo, os cariosum causa delendi, sed commercium inter sacculum lachrymalem ac nasum faciendi, per quod transeant posthac lachrymæ, utuntur.

Ut hujus operationis consilium fenestram propinquitatis perpetuam in osse unguis efficere est, sic instrumenta varia in promptu fuerunt.

Alii cauterium adhuc retinere conati sunt; sed id partibus vicinis nocere atque deformitatem valde illepidam producere aptum est.

Præterea, terrorem magnum laborantibus, ferrum ardens in vulnus impellendo, infert; etenim

ut illud, instrumento cuspide acuta non præstat, ita hoc temporis omnino rejicitur.

Hæc instrumenta, scilicet specillum magnum cuspide acuta, et trocar vel rectum vel curvum, præcipue posterior, nunc plurimum utuntur.

Operatio foramen in osse unguis trocar vel recto, vel curvo quod maxime idoneum est in terebrando consistit.

Ossium carie morbum arcessente, aut curationem retardante, ea effici non potest, donec os morbidum omnino extrahitur.

Morbo ex natura secretionis morbida glandularum meibomianarum pendente, interna superficies palpebrarum unguento oxidi hydrargyri rubri illineretur.

Cancro morbum producente ratio medendi ei similis, quæ cancro in corporis cæteris partibus idonea esse, debet.

In omnibus stadiis, medendi ratio lenissima ac quam mitissima esse oportet; cùm quicquid partes irritet, aut inflammet, morbum magis multiplicem et difficiliorem sanatu reddere tendit.



DE MODO OPERATIONEM CHIRURGICAM INSTITUENDI.

Chirurgum, ægro in luce sedente clara, capite bene sustento, trocar in sacculi lachrymalis partem inferiorem posterioremque super eam ossis unguis partem quæ est ejus dorso perpendiculari anterior, immittere (quia illa est pars quæ ad fodinam lachrymalem constituendam confert) ac deorsum et introrsum lente impellere donec perforatur oportet; neque ullam subitam ossi vim dare.

Perforatio ossis a sanguinis fluxu naso ac per vulnus aëris a fuga, cum emungit æger nasum, facile noscitur; cavendum est ne ossa spongiosa nasi vulnerata sunt.

Ut apertura in osse unguis proclivis impleri est, transitum liberum, etiam majorem ossis partem, optabile potius quam aliter diruendo facere

utile est. Vi levissima, instrumento recte adhibito, osse unguis adeo tenuissimo, ut multam ferre non potest vim sine fractura, foramen terebrare usus erit; contra, vi non levissima, si instrumentum super superioris ossis maxillaris processum nasalem adhibitum sit, ob comparativam ossis crassitudinem, perforationem efficere opus erit; ac post terebratum non nostro proposito aptum.

Cuspis instrumenti inter ossa spongiosia nasi in spatium descendere debet. Netum plumbeum, vel canulam argenteam, operatione perfecta, in ossis unguis aperturam introduci et semel omni die vel secundo retrahi, atque ejus usum donec vulnus speciem salvam assumit, et ossis margines perforati membranæque factæ callosæ continuari, oportet.

Transitus frequenter, solutionem plumbi acetatis dilutam injiciendo, elui debet.

Neto plumbeo, vel canula argentea, satis temporis continuata, ac partes circumjacentes aperturæ deletioni non proclives sunt, instru-

mentum retrahi, et vulnus externum coire permitti oportet.

Si foramen, canula vel neto satis temporis continuato, impletu est proclive, chirurgum in transitum argenteum formæ conicæ tubum vel canulam, circiter pollicis tres quadrantes longam, duos aut tres projectus circulares habentem, immittere necesse erit; adeo ut granulationes, quæ ex osse unguis et cæteris partibus circumjacentibus excrescunt, in ejus superficie ad inæqualitates se aptantes, illam in ejus loco fixam custodiant; illa in transitu relicta, et cum ea in ejus loco fixa est, tum vero vulnus externum super eam sanetur; morbus postea, vix aut nunquam recurrit.

Morbus sæpe, tubo in transitu non relicto, mederi potest; sed apertura sæpe obliterationi rursus proclivis erit; ac si id accideret, conicæ formæ tubum, iterum transitu formato, immittendo, vulnerique externo super eum medendo, eam tueri usus erit.

Ut semper nonnullum est periculum ne aper-

tura in osse unguis si canula pro ejus salute non relicta, obstructa fiat; ita multi chirurgi tubum, vel argenteum vel aureum in foramen, statim ut terebratum immittere, deinde vulneris margines alteram alteri comprimere, ac ei, (si potest) inflammatione adhæsiva mederi solent; modus, qui in tempore breviore non et incommodo minore ægro, morbo solum medicatur, verum etiam transitum lachrymis perpetuum in narem conservat, ac morbum prohibet, ne unquam iterum recurrat.

FINIS.

ERRATA.

P. 1.	l. 1, 2.	*pro* MEDICO CHIRURGICA	*lege*	MEDICO-CHIRURGICA.
— 7.	— 20.	— Vavula	—	Valvula.
— 11.	— 17.	— intugmenta	—	integumenta.
— 20.	— 21.	— conservari	—	conservandæ.
— 26.	— 3.	— nobis	—	nostrum.